

B. h. II 1219.

h. 62, 3.

(X 1877322)

II R
381

I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

JURE ALLUVIONIS

von der

Anwurfs-Berechtigung

Q V A M

EX DECRETO ET AUCTORITATE MAGNIFICI
RECTORUM ORDINIS IN ILLUSTRIS
ACADEMIA JULIA

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ENGELBRECHT,
RECTORI CELEBERRIMO ANTECESSORE
PRIMARIO, FACULTATIS JURIDICÆ SENIORE, AT-
QUE h. t. DECANO SERENISSIMI BRUNSVIC.
ET LUNEBURG. DUCIS CONSILIARIO

DNO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PRO-
MOTORE SUO ÆTATEM SUSPICIENDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA OBTINENDI

IN NOVI JULEI AUDITORIO MAJORI

D. xxvii. Augusti 1695.

HORIS ANTE . ET POMERIDIANIS

PUBLICO EXAMINI SISTET

JACOBUS von ASCHEN BREMENSIS.

HELMSTADI,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.



DEO OPT. MAXIMO,

P A T R I Æ

Dulcissimæ,

P A R E N T I

Dilectissimo

Hanc Dissertationem suam Inauguralem



Jac. von Aschen.



I. N. D. N. J. C.

§. I.

Quandoquidem omne jus quo utimur vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones §. 12. *Inst. de jur. Nat. Gent. & Civil.* Jus quidem alluvionis ad res pertinere extra omnem controversiam positum est. Alluvionis enim nomine in jure nostro denotatur modus acquirendi domini jure gentium introductus §. 20. *Inst. de Rer. div.* de quo nunc pro ingenii modulo paucis agere constitui. Omnes fructus rerum Natura gratia hominis comparavit §. 37. *Inst. de Rer. div.* Ut illis naturæ donis honeste ac tranquille frui possent homines, necesse fuit ipsas res quæ fructus ferunt custodiæ, curæ & culturæ eorum subjici: Distinctis itaq; dominiis & rerum proprietate fuit opus; Infinitas quippe discordias materia communionis solet excitare *L. 77. §. 20. ff. de Legat. 2do* Et naturale vitium est negligi quod communiter possidetur: *L. 2. C. quando & quibus quarta pars &c.* Contra autem duo sunt quæ faciunt ut homines curam gerant, *proprium & charum.*

§. II.

Quibus modis res vel bona temporalia quæ usibus mortalium deserviunt in patrimonium privatum
A trans-

transeant à legum civilium conditoribus satis luculenter expositum est. Videlicet dominia rerum privatis hominibus acquiruntur primum jure *occupationis*; quod genus acquisitionis in rebus quæ ante nullius sunt habet locum §. 12. I. *de Rer. div.* & vocari potest originarium. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. libr. 2. cap. 3.* Et sub hoc genere continentur venatio, piscatio, aucupium, inventio rerum utilium quæ dominum non habent jure civili §. 12. 14. 15. 16. *Instit. de Rer. divis.* Sam. Puffendorf. *de offic. hom. libr. 1. cap. 12. §. 5.*

§. III.

Hos acquirendi modos privatis hominibus naturali jure permisos esse, quatenus nulla lex civilis intervenit, docet Hugo Grotius *de Jure B. ac P. libr. 2. Cap. 8. §. 5.* Valde enim falluntur, ait, recentiores Jurisconsulti qui hæc ita putant naturalia ut mutari nequeant: Sunt enim naturalia non simpliciter, sed pro certo rerum statu, id est si aliter cautum non sit. Germaniæ autem populi cum principibus ac regibus bona quædam essent assignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimarunt ab iis rebus incipiendum esse quæ sine damno cujusquam tribui possint, cujusmodi sunt res omnes quæ in dominium nullius pervenerunt. Hæc Grotius: & hodie veniunt nomine regalium. 2. *feud. 56.* ita, ut sub *piscatione* etiam venationem & aucupium ibi subintelligi velint. Pruckman. *de regal. §. Venatio n. 5.* Quæ sententia moribus Germaniæ recepta est. Rosenthal. *de feud. cap. 5. conclus. 94. num. 6.*

§. IV.

§. IV.

Dein & jure *accessionis* acquiruntur rerum domi-
nia: cum rei nostræ aliquid vel accrescit vel accedit
vel adjungitur. Quæcunq; enim aliis juncta sive adje-
cta, accessionis loco cedunt *L. 23. §. 5. ff. de Rei vindic.* & accessio cedit principali *L. 19. §. 13. ff. de auro argento mundo &c. legatis*: illud autem principale di-
citur, cujus major est species *d. L. 19. §. 13.* idque visu
atque usu rei consuetudinis patrisfamilias æstiman-
dum est *L. 29. ff. d. t.*

§. V.

Denique per traditionem quoque jure naturali res
nobis acquiruntur: nihil enim tam conveniens natu-
rali æquitati quam voluntatem domini volentis rem
suam in alium transferre, ratam haberi *§. 40. Inst. de
Rer. div.* & potest hic modus referri ad acquisitionem
derivativam *Grot. d. libr. 2. cap. 6. thes. 1.*

§. VI.

Qui in alluvione subest modus acquirendi domi-
nii ad medium genus acquisitionis communiter solet
referri, quod accessionis jure continetur: Accessio
hæc aut est naturalis, quæ à natura procedit, aut est
industrialis vel artificialis quæ facta atque operatione
hominis contingit: *Hillig. ad Donell. lib. 4. Cap. 27.*
Vinn. Comment. ad §. 20. Inst. de Rer. div. aut de-
nique mixta est, quæ partim naturæ partim industriæ
vel artis opera expeditur. *Hahn. Obs. ad Wesenb. pa-
rat. ff. de acquirend. rerum dom. n. 8.* Hujus tertii ge-
neris sunt satio & plantatio: secundi generis est speci-
ficatio cum variis suis modis qui omnes *manufacturam*
continent.

§. VII.

Ad primum autem genus accessionis pertinent alluvio, insulæ productio, alvei derelictio, quatenus hæc solius naturæ sunt opera: nam & alvei mutationem ope hominum fieri posse maxime in fluviis minoribus si regionis situs non adversetur extra controversiam positum est: vid. *L. 1. §. 10. 15. ff. de aqua & aquæ pluvie*: quin ipsos quoque eorum fluviorum, qui non cum ipsa terra generati sunt, alveos manufactos esse probabilibus argumentis confirmat Varenius *Geographiæ generalis lib. 1. cap. 16. prop. 8.*

§. VIII.

Similiter insularum aliæ à natura productæ sunt, aliæ manufactæ: De his loquitur *L. 30. §. 4. ff. de acquir. rer. Domin.* hunc in modum; si pilas in mare jactaverim & supra eas ædificaverim continuo ædificium meum fit. Item si insulam in mari ædificaverim, continuo mea fit: quoniam quod nullius fit, occupantis fit: plura de insulis manufactis docet Joh. Gryphiander *Tr. de insulis cap. 8.*

§. IX.

Sic denique & *alluvio* naturalem quidem habet causam impetum videlicet aquæ fluentis minutissimas terræ particulas secum vehentis & ripæ adjicientis. Sed manu hominum fieri potest non tantum ut particulæ paulatim adjectæ consistant & hæreant nec recedant: verum etiam vicinæ aut adversæ ripæ particulæ à continente avelli possunt, ut in vicinam aut adversam ripam vi fluminis propellantur: quæ res in maleficii speciem incidit & pœnâ coerceri solet si circa
alienos

alienos fundos tale quid fiat. Similiter & fluminum
naturalem cursum opere manufacto alio non licet aver-
tere *L. 1. C. de alluvionibus*,

§. X.

Alluvio Germanicè dicitur Zufluß / Zuwachs / An-
wurff / Anschütt / Biccus in *Aure. p. 191. sed. 3. thes. 23.*
& sumitur vel latè, & referri solet ad omne genus in-
crementi five latens sit, five manifestum & evidens,
five etiam discretum uti insulæ, quæ per alluvionem
fieri dicuntur *l. ergo. 30. §. 2. in verbis, & alluendo au-*
xit. ff. de Acquir. rer. dom. Ut inde Johan. Baptista Ay-
mus *libr. 1. de jur. Alluv. c. 5. num. 9.* affirmare auset;
& alluvionem, & alveum, & insulas acquiri jure allu-
vionis, & sub ejus juris appellatione contineri, ad
quod confirmandum adducit *l. fin. C. d. Alluvion.* vid.
Caspar. Klock. *de Ærar. libr. 2. tit. 63. num. 1. & 2.* vel
strictè, & in hac posteriori significatione describitur
§. 10. Inst. de Rer. div. quod sit incrementum latens
Per alluvionem autem id videtur adjici quod ita pau-
latim adjicitur ut intelligi non possit, quantum quo-
quo temporis momento adjiciatur. Incrementi nomen
tacite & re ipsa continet rem, quæ incrementum ca-
piat; hæc autem res est ager aut fundus: idq; Imp. in-
dicat *d. §. 20. in pr.* dicens quod per alluvionem agro
tuo flumen adjecit, jure gentium tibi acquiritur: In
quibus verbis causæ pariter atque effectus alluvionis
indicantur. Causa enim alluvionis est flumen vel a-
qua fluens: Subjectum vel res quæ per alluvionem au-
getur est ejusdem naturæ cum suo principali, nimi-
rum copia particularum terrestrium quæ successu

temporis fundi speciem augent. Modus & forma illius incrementi est latens & minus evidens accessio: Effectus denique indicatur verbis, jure gentium tibi acquiritur. Verum singula hæc quæ circa alluvionem concurrunt momenta, paulo luculentius explicanda sunt.

§. XI.

Interpretes alluvionis nomen tribus modis in jure accipi tradunt: uno modo, quo substantiam denotat, agrum ipsum alluvium scilicet: altero quo actionem seu actum, quo alluvionem fieri dicimus significat: tertio quo juris effectum & nomen sortitur ut dicitur de possessione, quæ modo est res ipsa possessa; modo jus insistendi &c. modo actus ipse possessivus, ut passim DD. in *L. 1. ff. de acquir. poss.* ita Baptista Ay-mus de *Alluvionum jure lib. 1. cap. 2. n. 1.* ubi gloriatur se primum inventorem hujus distinctionis; utpote quæ ignota fuerit Bartolo ceterisque omnibus interpretibus: Et hanc distinctionem comprobaturum Gryphiand. de *Insulis cap. 18. n. 14.* tum Tabor in *addit. ad Colleg. Argentor. de acquir. rer. dom. n. 26.*

§. XII.

Simplicius autem & genio juris civilis convenientius loqui videmur dicendo alluvionem esse causam vel modum acquirendi domini jure gentium introductum: idque pr. *§. 11. Inst. de Rev. div.* comprobatur; ubi nomen causæ & modi unum idemque denotat, quæ tamen si paulo exactius rem ipsam contem-plemur differunt, prout in acquisitione per traditionem luculentissime constat: ipsa enim traditio & rei tradi-

traditæ apprehensio est modus acquirendi; causa autem tradendi est vel donatio vel venditio, vel datio in solutum, vel permutatio, vel aliud negotium quod causam dominii translaticivam in se continet *L. 31. ff. de acquir. rer. domin.* In venatione, piscatione, aucupio, inventione rerum quæ per inventionem acquiri possunt causa & modus acquirendi non ita evidenter possunt distingui. Ipsum enim factum venationis, piscationis & aucupii simul est causa & modus acquisitionis: Sic quoque alluvio causam simul & modum acquirendi dominii è dispositione juris gentium complectitur: quanquam causa alluvionis ab ipsa alluvione haud obscure differat: prout mox videbimus.

§. XIII.

Recentiores juris gentium interpretes Hugo Grotius & Samuel Puffendorff, ille *lib. 2. de Jur. Belli ac Pac. cap. 8. §. 8.* hic *lib. 4. de Jure Nat. & Gent. cap. 7. §. 2.* Jus alluvionis controversum reddunt, illudque non tam certa aliqua & naturali ratione quam positivis statutis singulorum populorum niti contendunt: atq; ita Puffendorffius *diç. loc.* Grotius tamen ex instituto quarundam gentium illud deducit: adeoq; non tam longe recedit à mente ac sententia juris civilis, quod jus Gentium ab illis demum gentibus profectum esse statuit quæ humanitatis & commercii cultu inter se junctæ sunt *arg. §. 2. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* Quicquid tandem sit videbis fundamentum habere in jure naturali & gentium, quod vult, commoda cujusque rei sequi eum, quem sequuntur incommoda. *l. secundum naturam. 10. ff. de Reg. Jur.* adeoq; commodum allu-

alluvionis in compensationem multorum damnorum, quæ proximis agris à fluminibus inferuntur, concessum est. Etenim cum qui propè ripas fluminum publicorum prædia possident, easdem ripas munire cogantur, & non tantum sumtus hujus munitionis magnos, sed & privatim damna non levia sustinere, dum vi fluminis detrahi & diminui sibi agros suos magno suo malo experiuntur, *L. 1. C. de Alluvion.* æquissimum certè est, ut alio jure ea damna compensentur, cum nunquam contingat, ut flumen agro aliquis aliquid adjiciat quin simul alterius agro tantundem detrahat. *l. unic. §. 3. ff. Ne quid in flum. publ. l. 1. 3. C. de Alluvion.* Cephal. *consil. 130. num. 30. & seqq.* Et hæc etiam causa fuit, cur Imperatores in *l. fin. C. de Alluvion.* statuerint, Fiscum non debere incrementa fluviatica sibi vindicare, neque pro his censum capere, ne, ut ipsi loquuntur Imperatores, vel alluvionum ignorare vitia, vel rem noxiam inducere possessoribus videantur qui sibi hæc incrementa vindicant. Ut non malè scripserit Albert. Brun. *consil. 109. circa fin. libr. 2.* consuetudinem, quæ vicinis adimit jus alluvionis, in foro conscientia non procedere, nec satis tutam esse. Joh. Bapt. Aymus *libr. 2. de Alluvion. cap. 21. num. 60. 61. jung.* Caspar. Klock. *de Ærar. libr. 2. cap. 63. n. 34. 6. 6.* Sed in Germaniæ judiciis otiosa est hæc disputatio, utpote in quibus non è mero naturali aut gentium, sed è civili jure deciduntur controversiæ; satisq; est si jus constitutum adfit; nullo aut exiguo respectu habito ad ipsam juris originem.

§. XIV.

§. XIV.

Causa alluvionis, uti jam dictum, est flumen §. 20. *Inst. de Rer. div. L. 2. ff. pro suo.* Flumen interdum accipitur pro quavis aquarum congregatione; uti in *L. 1. §. 23. ff. de aqua & aqua pluviae*: quæ tamen aquarum congregationes varia ac diversa nomina acceperunt, prout earum varia est & diversa natura Baptista Aymus *de Alluvionibus lib. 1. Cap. 5. n. 3.* In specie lacus ein See/ est qui perpetuam habet aquam *L. 1. §. 3. ff. ut in flumine publico navigare liceat.* Stagnum ein Pfuhl oder Sumpff est, quod temporalem contineat aquam, ibidem stagnantem, quæ quidem aqua plerumque hyeme cogitur §. 4. d. *Leg.* Palus ein Pfuhlsachen dicitur paululum aquæ in altitudine & palam latius diffusæ: Varro *de lingua latina lib. 4. Conf. L. 3. C. de alluvionibus & paludibus.* Atque hæ aquarum congregationes intra mediocritatem quandam consistunt: Mare autem est immensa aquarum congregatio Joh. Oettinger *de jure & controversiis limitum & finibus regundis lib. 1. cap. 12. in notis liter. b.*

§. XV.

Prædictæ aquarum congregationes à fluminibus proprie dictis figura differunt: Stagna enim lacus & paludes nec non maria in ampliorem figuram diffusa sunt: Fluvius autem seu flumen dicitur aqua à certo terræ loco fluens versus alium locum oblonga via & intra alveum: Bern. Varenius *Geograph. lib. 1. cap. 16. prop. 1.* Fossa est receptaculum aquæ manufactum *L. 1. §. 5. ff. Ut in flum. publ. navigare liceat*: & per fossam quoque publicum flumen potest fluere *L. 1. §. 8. ff. de*

B

ff. de

ff. de fluminibus ne quid &c. Rivus est locus per longi-
tudinem depressus, quo aqua decurrat *L. 1. §. 2. ff. de*
rivis: Flumen à rivo magnitudine discernendum est,
aut existimatione circumcolentium *d. L. 1. §. 1. ff. de flu-*
minibus ne quid &c. Amnis dicitur id flumen quod cir-
cuit aliquid: nam ab ambitu amnis: Varro *de lingua*
latina lib. 4. Conf. l. 1. §. 10. ff. de fluminibus.

§. XVI.

Fluminum quædam sunt perennia quædam tor-
rentia: perenne est quod semper fluat; torrens qui
non de fonte neque viva aqua sed à pluviis vel de
montibus in valles descendit *L. 1. §. 2. ff. de fluminibus*
&c. Oettinger d. loc. lit. S.

§. XVII.

Porro fluminum quædam publica sunt, quædam
non: Publicum flumen esse Cassius definit, quod pe-
renne sit *L. 1. §. 3. ff. de fluminibus &c.* Cumq; flumina
pleraq; perpetuo fluant; sequitur flumina pene omnia
esse publica *L. 4. §. 1. ff. de Rer. div. Oettinger d.*
Tract. Cap. 12. lit. u. Baptista Aymus d. lib. 1. Cap. 15.
n. 4. §. Petrus Friderus Mindanus de Mandat. ju-
dic. lib. 2. Cap. 36. §. 4.

§. XVIII.

Quamvis autem jure Romano flumina omnia pe-
rennia publica, & ut olim in populi, sic deinceps prin-
cipis potestate quoad jurisdictionem, quo ad usum
verò omnibus communia fuerunt *§. flumina 2. Inst.*
de Rer. div. L. nemo 4. ff. de Rer. div. L. adeo 17. §.
insula ff. de acquir. rer. domin. L. flumina 24. ff. da-
mni infecti: Verbis, fluminum publicorum communis est
usus:

usus: Postmodum tamen jure feudali alia fluminum distinctio introducta est, & quædam regalia, quædam bannalia dicta sunt: Regalia sunt in quibus Princeps jure patrimoniali seu domaniali vectigal capit, & ideo in his modum & tempus piscationis constituit, & quibus Magistratus proprios præficit. Bannalia quæ eruditi præscripta vocant, quæ quibusdam beneficiariis seu vasallis aut concessione principis, aut longi temporis præscriptione, aut consuetudine, aut alio justo titulo quæsitæ sunt: Hæc Oettinger *d. l. lit. u. conf. Petr. Gregor. Tholosan. lib. 3. Syntagm. Cap. 14. n. 4. §.* Et omnia pene flumina non navigabilia hodie bannalia esse censentur, factaq; sunt privata, quæ prius publica erant. Verum de fluminum publicorum Regali pluribus videri potest Rosenthal. *de feud. cap. 5. conclus. 23.* Et nos ideo ea paulo prolixius pertrastavimus, ut causam alluvionum accuratius demonstrare possemus.

§. XIX.

Nunc demum quærimus an omnis generis aquarum congeries causam & jus alluvionis habeat? Quæ quidem quæstio duplicem habet considerationem: nimirum (1) an omnes ac singulæ quas diximus aquarum congregationes terræ sibi vicinæ aliquid adjiciant (2) ad quem illa accessio pertineat, seu cuinam illa acquiratur, vel quisnam earum sit dominus. Et primum quidem de priori: quæcunq; igitur aquarum congeries terminos suos retinet nec habet flumen vel aquarum profluvium, in ea per rerum naturam causa alluvionis esse non potest: hæc enim consistit in

flumine, quod motu suo particulas terrestres uni agro
sensim abradit & alteri sensim adjicit §. 20. *Instit. de Rer.
div.* Atqui stagna & paludes minores terminos suos
retinent nec profluunt: Ergo quamvis alia quoque
causa non obstaret, alluvionis causam non habent.
Lacus quoque pigri & motu carentes, qui quoque suos termi-
nos retinent, nec uni quid auferunt vel alteri adji-
ciunt propter eandem causam alluvionem producere
non possunt Dn. Ahasver. Fritsch. *addit. ad Baptist.
Aym. de Alluvion. lib. 1. cap. 15.* Verbo *Lacus*. Et huc
pertinet elegans textus in *L. 12. ff. de acquir. rer. dom.*
his verbis: *lacus & stagna licet interdum crescant, in-
terdum exarescant suos tamen terminos retinent*: confer.
l. 24. §. 3. ff. de Aqua & aquæ pluvi. arc. Bocer. *disp. 5.
classe 4. thes. 7.* ideoque in his jus alluvionis non agno-
scitur. Verum publici & majores lacus qui motui
sunt obnoxii, maxime si flumina eos transeant, cete-
ris paribus, alluvionem parere sunt idonei: Dn. Fritsch.
d. l. & D. Gambs Dissert. legal. de alluvion. §. 13. item
Gryphiander *de insulis Cap. 18. n. 109.* quales sunt lacus
Brigantinus der *Boden-See* propè *Vindau* / quem *Rhe-
nus*, & lacus *Lemanus* der *Genfer See* / propè *Gene-
vam*, quem *Rodanus* percurrit. vid. *Goedd. ad l. 112.
ff. de Verb. signif.*

§. XX.

An autem & in mari alluviones naturaliter possint
locum habere haud ineleganter quæritur. Leges Ro-
manæ quidem tantum in fluminibus alluviones col-
locant §. 20. *Instit. de Rer. div. in verb. flumen adjecit.*
jung. l. 7. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. ubi idem dicitur.

l. 1 C.

hactenus ejusdem juris sunt, cujus sunt litora, quibus illa è mari incrementa accedunt; nempe nullius in bonis sunt, sed occupantibus cedunt & acquiruntur, perinde ut insulæ in mari natæ §. 22. *Inst. de Rer. div.* Baptist. Aymus *de alluv. lib. 1. Cap. 2. n. 9.* Quod tamen vix procedit, cum ita paulatim adjiciantur, ut intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur §. 20. *Instit. de Rer. div.*

§. XXII.

Flumina quoque prisco illo jure publica quidem sunt §. 2. *Inst. de Rer. div.* riparum verò duntaxat usus publicus est; sed proprietates earum, illorum est, quorum prædiis hærent §. 4. *Inst. d. tit.* quare & incrementa, quæ à flumine proveniunt & ripis adjiciuntur, in proprietatem eorum transeunt qui prædiorum ripis adhærentium sunt domini. Atque hoc in fluminibus publicis duntaxat habet locum; utpote quæ non sunt ejusdem juris cum ripis: harum enim proprietates singulorum est, illorum verò quasi proprietates penes populum. Hujusmodi enim flumina censitorum vice funguntur, ut ex privato in publicam addicant & ex publico in privatum; qui est elegantissimus textus in *L. 30. §. 5. ff. de acquir. rer. domin.* Nimirum flumina ex privato in publicum addicunt cum alveos suos augment, & ripis vicina prædia imminuunt; augmentum enim alvei publicum est sicut ipse alveus §. 23. *Inst. de Rer. div.* Contra eadem ex publico in privatum addicunt, cum particulas terrestres alibi abrafas & publici juris factas alterius privati agro paulatim adjiciunt.

§. XXIII.

§. XXIII.

Quodsi verò ripæ fluminum prædiis privatorum non hæreant, sed ipse quoq; locus sit publicus per quem flumen labitur, alluvionis jus non est; Sed uti flumen ita & alveus, & ripæ & loca iis vicina ejusdem juris, id est publica permanent Petr. Gregor. Tholosan. *Synt. Jur. univ. lib. 20. cap. 8. n. 7.* Uti enim quod proprium est alicujus, amplius ejus fieri non potest §. 10. *Inst. de Legat.* Ita quod publicum jam est, amplius publicum fieri non potest.

§. XXIV.

Atq; eandem ob causam in agris limitatis jus alluvionis locum non habere constat; per *L. 16. ff. de acquir. rer. dominio.* Agri enim limitati apud Romanos fuere limitibus solennibus rite inclusi atq; eo modo in formas seu tabulas publicas relati; ut sciretur quid cuiq; datum esset, quid venisset, quid in publico relictum esset *d. L. 16. Dn. Eyben ad Instit. Disquis. 6. Obs. 7. num. 24. Joh. Gryphiand. de Insulis cap. 27. n. 6.* Nimirum uti ex sententia Cujacii 2. *Obs. 9.* & ad *Tit. Instit. de acquir. rer. dom.* ibidem Gryphiand. ostendit, limitati isti agri nunquam in flumen vel mare ita defierunt, quin semper remanserit spatium aliquod quod *subcessivum & extraclusum* vocabatur: idque spatium perinde uti flumen publicum erat. Atq; illi fuerunt agri militarium coloniarum, quorum divisio ut plurimum per limitum institutionem fieri consuevit, Oettinger *de jure & controvers. limit. lib. 2. Cap. 2. lit. L.* Conf. H. Grotius *de jur. B. ac P. lib. 2. Cap. 3. §. 16.* Hodie autem agri licet certa mensura modoq; constant, non tamen limitati dicuntur,

cuntur, prisca illa significatione; adeoq; jus alluvionis in iis locum habet si ad flumen usque pertingant Dn. Ahasv. Fritsch. *addit. ad B. Aym. de Alluvion. lib. 1. Cap. 17. in fin.* Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. 41. §. 26.*

§. XXV.

Privatum flumen quodnam in jure civili sit, ex iis quæ supra §. 17. 18. dicta sunt, potest intelligi: Nimirum quoniam publicum flumen est quod perenne est; sequitur privata flumina esse ea quæ tam cito & tam sæpe exarescunt, quam crescunt Baptist. Aymus *d. Tr. lib. 1. Cap. 15. n. 19.* Cæpolla *Tr. de Servit. rustic. prædior. Cap. 31. n. 2.* Interpretes autem ulterius ad privatum flumen requirunt ut in privato fundo oriatur perq; eum fluat, Petr. Frider. *de Mandatis judic. lib. 2. Cap. 36. §. 4.* & si in confinio sit, commune erit vicinorum *arg. L. 2. §. 2. ff. de aqua & aquæ pluvie arcende.* B. Aymus *d. Cap. 15. n. 19.* Quæ in unius domini fundo labuntur privata flumina alluvionis jus non habent, propter rationem supra §. 23. allatam: Quæ autem in confinio sunt, quando extra ripas vagantur & vicina prædia limo obducunt, hæc accessio quasi jure alluvionis acquiritur agro cui adjicitur B. Aymus *d. l.* Sic & quando idem flumen privatum per plura privatorum prædia labitur hætenus commune est, & alluvionis jus in eo locum habet; quatenus unius prædio flumen aliquid detrahit & alterius prædio paulatim adjicit: Simili ratione si privatorum prædia ad mare excurrant, hoc casu & mare censitoris vice fungi videtur, ut ex privato in publicum addicat, & ex publico in privatum. Ab aquâ etiam pluvîâ, quæ de cælo cadit

dit atq; imbre excrescit alluvio fieri potest, si ea ali-
quid fundis nostris sensim & latenter adjiciat. vid.
Besold. *in verb. Zufluss* & *in addition*. Sed hæc ex an-
tiquæ jurisprudentiæ regulis de alluvionum jure dis-
putata sunt.

§. XXVI.

Postea autem mutato Reipubl. Romanæ statu
alia publicarum rerum facies esse cœpit, per Italiam
pariter & Germaniam, cujus regno veteris Imperii
Romani reliquiæ una cum regno Italico unitæ sunt,
prout ostendit Herm. Conringius lib. de Imperio Ger-
manorum Romano cap. 10. Et in annotatis ad Lam-
padium part. 3. cap. 2. §. 4. Primum enim ipsum ma-
re naturali jure commune omnium diu creditum, im-
perio dominiove Regum Principum aut liberarum
gentium premi cœpit, & quasi in proprietatem affer-
tum; & promiscua in eo navigandi piscandiq; pote-
stas coarctata atque in jus fisci translata est, vid. H.
Grotius *de J. B. ac P. lib. 2. Cap. 3. §. 10. & seqq.* Joh.
Gryphiand. *de Insulis cap. 11. n. 39.*

§. XXVII.

Cumq; litora maris hætenus ejusdem juris cum
ipso mari sint, necesse est & incrementa maris alluvio-
ne litori adjecta pertinere ad regalia: idq; ex ea ratio-
ne quam supra §. 23. adduximus: atque hanc senten-
tiam comprobat Dn. Fritsch. *addit. ad B. Aym. d. Tr.*
lib. 1. Cap. 2. Verb. in mari.

§. XXVIII.

Ceterum antiquiori tempore cum terrarum orbis
partes nondum essent regnorum & principatum po-

C

tentia

rentia divisæ, sed multi populi passim gauderent libertate publica sui que juris essent, maris quidem proprietate à populo occupata est, illius videlicet quod cuius que territorio vicinum est: Ibi igitur ubi mare ad jus totius populi pertinuit, & insulæ & alluvionum incrementa ejusdem juris fuerunt: Ita Frisii veteres insularum & litorum incrementa cuius que universitatis agro adjacentia in commune coluerunt, priusquam ad regalia transfirent. Quod nec dum alicubi defecit. Ita Ubbo Emmius *in descript. Chorogr. Frisæ orientalis fol. 54.* de agro Schillichio in ditione Jeverana: Multum etiam nunc soli jacet extra aggeres, inquit, per oram finis illius qui Harlingiis & Wangriis se insinuat, maxime post portum Funixanum, at que id agro utri que cui obicitur commune est: ita ex Ubb. Emmio, Joh. Gryphiand. *Tr. de Insulis cap. 17. n. 19.*

§. XXIX.

Idem tamen Gryphiander *d. Tr. Cap. 11. n. 67. 68.* mutationem illius antiqui juris sic declarat: In Frisia, inquit, quamvis insularum alluvionum que incrementa antiquitus ad universitatem proximam pertinuerint, tamen id jus amissa libertate sensim ad principes & dominos eorum transiit. Ita in pactis Alberti Comitis Hollandiæ cum Frisiis initis anno 1399 cautum, ut agri omnes alluvione in posterum accreturi, aut qui jam accreverant, nondum tamen aggere cincti, ad Albertum pertinerent, qui que eos hæcenus pro suis tenuerant, retinerent quidem sed beneficio principis. Ubb. Emmius *lib. 16. rerum Frisic.*

§. XXX.

§. XXX.

Ab alluvione marina progredimur ad incrementa agrorum ex alluvione fluminum publicorum, quatenus illa communioni vel promiscuo usui subtracta & aut regalia aut bannalia vel præscripta esse cœperunt, quam divisionem supra exposuimus §. 18. Nimirum quæ in legibus Romanis flumina publica dicuntur una cum aliis proventibus publicis ad sacra fisci regii jura relata sunt; quod illustri testimonio comprobatur Guntherus poëta Ligurini lib. 5. v. 571. seqq.

*Vedigal portus cudendæ jura monetæ,
Cumq; molendinis, telonea, flumina, pontes.
Id quoq; quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Et capitolitium certo sub tempore censum.
Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.
Hæc & si qua pari fuerant obnoxia juri
Prælati, Procere, missisq; potentibus urbes
Libera Romano liquerunt omnia regno.*

Et Radevicus de gestis Frider. I. Imp. lib. 2. cap. 5. inter illa regalia fisci jura refert molendina, piscarias, portus omnemque utilitatem ex *decurſu fluminum* provenientem. Sub qua utilitate dubio procul & alluvionum incrementa continentur. In *cap. un. 2. Feudor. 56. Quæ sint regalia*: sub hoc genere numerantur flumina navigabilia & ea ex quibus fiunt navigabilia Vultej. *de Feudis lib. 1. Cap. 5. n. 7.* Eadem ferè tam de mari quam de fluminibus publicis afferuntur à Caspar. Klockio *libr. 2. de Ærar. cap. 63. num. 8. 12. & seqq.* Ubi ita loquitur: Hisce tamen parum vel nihil attentis, cum alia hodie facies Imperii apparere, & flumina

mina publica in patrimonio Principum esse eorumque
præcipua commoda in fiscum referri & possideri cœ-
perint, dominos Territoriales, exclusis vicinorum
prædiorum & agrorum dominis *jus alluvionum*, in-
sularum, aliorumque fluviaticorum incrementorum
sibi præcipuo quodam jure vindicare, passim vide-
mus. Addens *num. 12.* ex Gryphiandro *de insulis cap.*
18. num. 92. Quod hodiè de consuetudine *alluvionis*
maritima incrementa ad Regalia transeant & proximo
accrescant territorio: adeoque Comitem Frisiæ Orien-
talis, contra quem consuluit Goeddæus *consil. de allu-*
vione maris, habuisse intentionem fundatam, nisi ad-
vocatus ipsius alluvionem marinam, quæ facti esset,
negasset, atque sic aliis disputationibus se involvisset.

§. XXXI.

Sed in partibus Imperii Romano Germanici rega-
lia illa fisci jura ad Electores, Principes, Comites Im-
perii, & liberas Imperii Civitates pertinent, uti con-
stat ex Instrumento Pac. Osnabr. *art. 8. §. 1. Ut autem*
provisum sit &c. Et cum non tantum flumina prædi-
cta sed portus quoque & ripatica regalibus annumeren-
tur in *prædict. cap. un. quæ sint regaliæ 2. feud. 56.* hoc
postremo nomine plura contineri & jus publicum de-
signari illud, quod habet Princeps in ripis fluminum
publicorum vel respectu vectigalium vel aggerum vel
etiam respectu juris transfretandi de ripa in ripam, do-
cet recte M. Anton. Peregrin. *lib. 1. de jure fisci Tit. 1.*
n. 24. eo nomine laudatus à Gryphiand. *de Insulis cap.*
x1. n. 54. Aggeribus autem ac ripis cohærent alluvio-
num insularumque incrementa eorumque oneribus suc-
currunt

currunt *arg. L. 10. ff. de Reg. Jur. Cap. Qui sentit, eodem in 6to.* Quare cum aggeres publici juris sint, eorumque locandorum jus ac inspectio ad regalia pertineat Gryphiand. *d. Tr. Cap. 28. n. 36. 37.* Dn. Jodoc. Hackman *Tract. de jure aggerum cap. 11. num. 14. seqq.* conlequens esse videtur & alluviones fluminum regalium eodem jure censerī.

§. XXXII.

Quoniam vero in reparatione publici aggeris possessores vicini agri pro jugerum numero vel capitum quæ possidere noscuntur, dare coguntur *L. 2. C. de immunitate nemin. conced.* hinc æquitate dictante iisdem quoque modica alluvionum incrementa in solatium jacturæ, quam ex aggerum reparatione aut fluminis iniquitate sentiunt, relinqui æquum est. Fieri tamen quoque potuit ut ipsæ universitates è consuetudine præscripta curam aggerum gerant suaque impensa eos, ubi opus, reparent; pro modo videlicet latitudinis cujusque agri: eoque nomine & alluvionum jus in suo statu quem lege antiqua nactum est, duret; & extra censum regalium existat. Negari enim nequit consuetudinem in augendis minuendisque regalibus plurimum posse juxta *Wesembec. Conf. 45. n. 20. Gryphiand. d. Tr. Cap. xi. n. 60.* Sed omni hoc casu quando nonnullibi locorum adhuc hodie jus alluvionis privatis accolis factum tectum manet, id non tam dispositioni ac æquitati, quam communiter hic crepant, juris Justiniani, quam humanitati Principis, acceptum ferendum esse arbitratur Dn. Hackman *d. Tr. Cap. 9. n. 77.*

§. XXXIII.

Cæterum in præallegato textu 2. feud. 56. illa duntaxat flumina ad regale jus fisci pertinere dicuntur quæ navigabilia sunt, & ea ex quibus fiunt navigabilia. Ea proinde flumina quæ recta in mare fluunt & navigabilia non sunt; aut quæ in aliud quidem flumen se exonerant, sed illud navigabile non reddunt, non pertinent ad regalia, Sixt'n. *de Regalib. lib. 2. Cap. 3. n. 18.* Oettinger *de Jure & Controv. limit. lib. 1. Cap. 12. lit. D.* Flumina autem navigabilia sunt quæ ad navigationem idonea, Schiff-reiche Flüsse. Navis à scapha aut cymba non tantum magnitudine, sed partibus quoque & structura discernitur. Alfenus JCrus, prout relatum in *L. 44. ff. de Eviction.* scapham non videri navis esse respondit; nec quidquam conjunctum habere: nam scapham ipsam per se parvam naviculam esse: Omnia autem quæ conjuncta navi essent, veluti gubernacula, malus, antennæ, velum, quasi membra navis esse. Alias in genere navem accipere debemus sive marinam, sive fluviatilem, sive in aliquo stagno naviget, sive schedia sit, *L. 1. §. 6. ff. de exercitor. act.* ubi Gothofred. notat schedia navis, genus navigii inconditum, trabibus tantum inter se nexis factum: alias ratis: Germani dicunt, etne Flosse / *L. 1. §. 14. ff. de fluminibus ne quid in flum. publ.*

§. XXXIV.

Flumina igitur non navigabilia sunt quæ ad navigationem non sunt idonea: atque hæc regalia quidem non sunt, sed tamen passim in usu publico esse desierunt & in privatorum jura transferunt; ac ut plurimum

rimum ad dominos & magistratus loci spectant, Oet-
tinger *d. Cap. 12. lit. u.* In quo censu ea quoque ple-
rumq; sunt quæ non quidem navigabilia sunt, sed ta-
men in alia flumina navigabilia se exonerant: utpote
quæ secundum feudistarum doctrinam hætenus qui-
dem ad regalia pertinent, sed privatis vel in feudum
concessa vel præscriptione immemoriali acquisita sunt,
prout supra §. 18. indicavimus. Sed interdum & in
flumine navigabili privatus vicini agri dominus jus
quæsitum habet ex investitura ac speciali concessione
principis, ut piscationum reditus non solum inde ca-
pere, sed & vectigal à navigiis transeuntibus exigere,
sibiq; acquirere possit. Petr. Heig. *Part. 2. Quæst.*
40. num. 19.

§. XXXV.

Quæritur autem si flumen aut navigabile aut non
navigabile cum certo districtu vel regionis parte ali-
cui à Principe concessum sit cum omni reditu, fructu
& commodo, mit allen Nütungen / Ehren und Wür-
den / an hujusmodi concessionarius alluvionum quo-
que incrementa sibi vindicare possit? Quæ pro illo
in medium afferri possint argumenta, ut sibi vindi-
care incrementa fluviatica possit, luculentius tradit
Petr. Heig. *d. quæst. 40. à num. 1. usq; ad n. 57.* Ipse
tamen Heigius proclivior est in partem alteram; stan-
dum nempe in hac causa esse dispositioni juris civilis;
& proinde de insularum & alluvionum & aliorum in-
crementorum fluviaticorum jure non aliunde quam
ex perspicuis juris civilis dispositionibus decisionem
petendam esse statuit *d. qu. n. 58.* & hanc suam senten-
tiam

tiam multis rationibus præclare firmat; nempe quod per dictam concessionem fluminis ejusque pertinentiarum jus alluvionis vicinis prædiis non censeatur ademptum esse: quod etiam statuit B. Aymus *de alluvion. lib. 1. Cap. II.* Sed Dn. Ahasv. Fritsch *add. Cap. II.* cum distinctione id admittit, si nempe ante illam concessionem jus civile vicinis prædiorum possessoribus incrementa fluviatica tribuens adhuc illic in usu fuerit.

§ XXXVI.

Et sane Romani Principes Theodos & Valentin. in *L. 3. C. de alluvion.* ea quæ per alluvionem sive in Ægypto per Nilum, sive in aliis provinciis per diversa flumina possessoribus acquiruntur, neque ab æraario vendi, neque à quolibet peti, nec separatim censeri vel functiones exigi, perpetuo valitura lege sanxerunt; hac addita ratione, ne vel alluvionum ignorare vitia, vel rem noxiam possessoribus videamur inducere. Atque hoc æquisimum jus hodie quoque valere existimari debet nisi mutatio evidenter doceatur. Neque admittenda est ejusmodi interpretatio concessionis Principis quæ cum gravi præjudicio tertii conjuncta est: Magna enim vicinorum captio futura esset, si alluvionum injurias & damnum sustinere cogerentur, neque è contrario incrementis gauderent: hinc non debet Princeps videri id voluisse quod cum tam magno præjudicio vicinorum esset conjunctum: ita Heigius *d. l. n. 92.*

§ XXXVII.

Etsi autem interpretes communiter statuunt in sacris locis non obtinere jus alluvionis, quos refert & sequi-

sequitur Rutger. Ruland. *de Commissariis Part. 4. lib. 2. Cap. 15. num. 6.* nullo tamen juris textu hanc sententiam niti docet Dn. Fritsch. *addit. ad B. Aym. d. Tr. lib. 2. Cap. 1.* Conf. Gryphiand. *de Insulis Cap. 27. n. 29.* Quamvis aliqua ratione defendi possit communis illa opinio: videl. cum sacrum dicatur quod rite per Pontificem Deo consecratum est §. 8. *Instit. de Rer. div.* hinc quicquid loco sacro per alluvionem forte accedit, sacrum prius esse non videtur, quam ipsum quoque per consecrationem illam qualitatem acceperit: Accedit, quod loca sacra, h. e. immediatè divino cultui inservientia, qualia sunt ædificia sacra, fluminibus adjacere non soleant. Verum prædia ecclesiastica jus alluvionis habent, quia his nullibi vel in jure Canon. vel civili adimuntur sed potius relinquuntur accessiones vel incrementa *Cap. Cum M. Ferrariens. 9. extra de Constitution. Dn. Fritsch. d. l.*

§. XXXVIII.

Quod si privatus ager, cui flumen per alluvionem paulatim aliquid adjecit, pleno jure ad possessorem pertineat, idem hæctenus citra controversiam erit & illius incrementi dominus: nam quod per alluvionem agro nostro flumen adjecit, jure gentium nobis acquiritur *L. 7. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* Sin autem proprietas agri ab usufructu separata sit, alluvionis quoque usufructus ad fructuarium pertinet *L. 9. §. 4. ff. de usufruct.* Sed fructus quidem personæ accrescit, portio autem fundi ipsi fundo *L. 33. in fin. ff. d. t. L. 14. §. 1. ff. de except. rei jud.* hoc est, proprietas incrementi fluviatici pertinet ad dominum agri

D

qui

qui per alluvionem augetur, licet usufructus illius
portionis adjectæ usufructuarii sit. Obscurius hoc in-
dicat Paulus receptarum sententiarum *lib. 3 Tit. 6. §.*
22. bis verbis: accessio alluvionum ad fructuarium
fundum, quia fructus fundi non est, non pertinet:
Conf. Gryphand. *d. Tr. Cap. 26. num. 171. 172.* Dn.
Fritsch. *addit. ad B. Aym. d. Tr. lib. 2. Cap. 5.* Idem di-
cendum de servitutibus realibus: nam si prædium ser-
viens per alluvionem fuerit auctum, ipsa servitus, ra-
tione istius augmenti amplificata erit: Baptist. Aym.
Parm. *de alluv. lib. 2. Cap. 16. num. 15. & seqq.* Carp-
zov. *lib. 1. Respons. 45. num. 10. & seqq.* Cum aucto
per alluvionem fundo jus in eo nobis competens si-
mul auctum censetur, idque in specie de servitute a-
quæ ductus probatur in *l. hoc jure 3. §. si aquam 2. ff.*
de aqua quotid. & aestiv. & corroborat hoc Carpzov.
allegato loco sequenti responso: *Habt ihr auff eures
Nachbarn Acker und Werder die Triftgerechtigkeit hie-
bevor erlanget / und es hat das Wasser eine zeithero ein
ziemliches Stück zu bemeldten Acker angeleget / also /
daß er umb ein merkliches erweitert worden. So ste-
het euch auff solchen angelegten Stücke die Triftges-
rechtigkeit gleichfals zu / und es ist bemeldter euer Nach-
bar Euch solche darauff zu verringern nicht befugt.*
Idem obtinet in jure pignoris: nam aucto per alluvio-
nem fundo pignorato, ipsum pignus simul auctum
censetur *l. si convenerit. 18. §. 1. ff. de pignor. act. l. si fun-
dus 16. init. ff. de pignor.*

§. XXXIX.

De incremento agri emphyteutici per alluvionem
facto major est dubitatio apud interpretes, num ad do-
minum

minum directum, an ad emphyteutam illud pertineat. Sichard. *ad L. 1. Præses num. 12. C. quæ sit longa consuetudo*; Jure scripto, ait, non est definitum an emphyteutæ incrementum alluvionis cedat, vel ipsi domino? Jam quid sequar? Inquiramne de simili legis, vel in simile consuetudinis: nam utrobique inveniuntur casus quidam similes. In jure scripto simile invenitur de usufructuario, qui cum percipiat fructus, constitutum est in eo ut incrementum alluvionis ei accedat *L. item si fundi §. huic ff. de usufructu*: ergo in simili videntur ad emphyteutam, qui idem est dominus fructuum, incrementa alluvionis pertinere; arguendo à simili legis, & ita tenebat gloss. *in L. de quibus ff. de Legibus*. Alii ut P. de Bell. Pertic. & Ultramontani dicebant potius esse inspiciendum simile consuetudinis: Et ideo cum de jure feudorum videamus esse cautum circa Vasallum, ut incrementum alluvionum ei non cedat *§. si quis de manso Tit. Si de investitura feudi*: hoc etiam tenendum esse statuunt in emphyteuta, propter identitatem rationis: Sed cum in hoc casu fortior sit similitudo quæ ex scripta lege pendet de usufructuario ad emphyteutam, quam sit similitudo vasalli & emphyteutæ, illam potius sententiam tenendam esse censet Sichardus, quod incrementum emphyteutico prædio additum ad emphyteutam pertineat: idem statuit B. Aym. *d. Tr. libr. 2. Cap. 12.* Frantzkius *Tr. de Laudem. Cap. 15. num. 51. & seqq.* Hoc tamen intelligendum est quoad utile, non verò directum dominium: Hoc enim domino directo: uti in feudo incrementum alluvionis, quoad utile vasallo; quoad directum dominium, domino feudi acquiritur.

ritur. §. si quis de mans. 5. & §. rursus 6. libr. 1. feud. 4.
Carpzov. in Jurispr. For. part 3. Const. 13. def. 17. n. 2.

§. XL.

Sed quod de incrementis accedentibus feudali prædio Sichardus monuit, nimis generaliter dictum est: Textus enim si quis de manso. 1. Feud. 4. rem distincte proponit: Si quis de manso uno, feudi nomine investituram acceperit, & dixerit quod omne incrementum pertineat ad eum per investituram; si dominus reservaverit sibi aliquid in ipsa curte; tunc oportet fidelem incrementi investituram per pares curtis vel per breve testatum probare: Hoc est, si Dominus in prima investitura & constitutione feudi sibi aliquid in ipsa curte reservavit, videlicet pro castro suo, ut è fructibus prædiorum feudaliū aliquid ad curtem si-ve domum suam quotannis afferatur: tunc præsumitur strictè id solum concessisse, quod tempore concessionis extitit, futura vero sibi reservasse: adeoque tunc præsumtio est contra vasallum; qui proinde si dixerit, illud incrementum ad se pertinere quod post investituram feudali prædio accessit, tenetur probare suam intentionem per pares curiæ aut per breve testatum: Si tamen Vasallus in possessione illius incrementi fuerit, non oportebit eum investituram probare, sed jurare sufficit, se cum incremento investitum esse d. Cap. Si quis de manso 1. feud. 4. Sin autem mansum in genere & nulla addita restrictione aut reservatione in feudum concesserit; vel, ut textus feudalis ait, si dominus in ipsa curte nihil sibi retinuit, tunc omne incrementum primæ investituræ vasallus obti-

4. obtinet: Struv. *Syntagm. Jur. feud. Cap. 12. apb. 6.* Gryphian. *de Insulis Cap. 26. num. 97.* Rosenthal. *de feud. Cap. 10. Concl. 44.*

§. XLI.

Hæc alias ita proferri solent: Aut ex tenore investituræ, vel ex aliis indubitatis probationibus liquet, quid de incremento inter dominum & vasallum actum fuerit, & hoc servandum est. *arg. l. semper in stipulationibus 35. & ibi Decius ff. de Reg. jur.* Aut verò id non liquet.: Quo in casu incrementum naturaliter feudo accedens, quale est incrementum alluvionis, non ac vasallum, sed ad dominum feudi pertinet, si res in feudum concessa sit limitata, id est, sub expressione certorum jugerum alicui in feudum concessa. Andr. de Isern Bald. Alvar. Præpos. *d. §. si quis de manso. 1. feud. 4. arg. l. Rutilia Polla. 69 ff. de Contrab. Emt. l. in agris. 16. ff. de acquir. rer. dom. l. 2. §. si insula. ff. de Flum.* Sin verò dominus alicui feudum non limitatum, sed simpliciter concesserit, si quidem dominus concedendo feudum sibi nihil retinuit vel reservavit in istâ curiâ, in qua hæc res in feudum concessa sita est, incrementum alluvionis ad vasallum spectat absque ullâ aliâ probatione *d. §. si quis de manso. 5. 1. feud. 4. & ibi Bald. & Math. de Afflictis. Zasius in tractat. feud. in 6. part. num. 47.* Quod habet locum etiamsi dominus feudi reperiatur in possessione incrementi: nam ipse hoc vasallo omninò restituere cogitur, licet vasallus non aliter probet, se de isto incremento investitum fuisse. Math. de Afflict. *d. §. si quis de manso. col. 1.* Sin verò dominus feudi sibi

D 3

in istâ

in istâ curiâ, in quâ hoc feudum situm est, aliquid
reservaverit, incrementum latens ad dominum feu-
di spectat, nisi vasallus manifestissimis probationibus
contrarium probare possit, hoc incrementum vide-
licet ad se vel ex pacto veteris investituræ, vel ex in-
vestitura nova pertinere. Quæ contraria probatio,
eo casu, quo vasallus non est in possessione incre-
menti, non nisi per pares curiæ fieri solet: Eo verò
casu, quo ipse est in possessione incrementi, hæc
contraria probatio per solum juramentum vasalli fit.
d. §. Si quis de manso. Zas. in tractat. feud. 6. part. num.
47. Et quia hoc incrementum feudo junctum est,
vasallus statim ejus possessionem acquirit, etiam abs-
que apprehensione aliquâ. *arg. l. 3. in princ. ff. de Ac-*
quir. possess. Schrader. de feud. part. 5. Cap. 6. num. 26.
§ 27. nec ejus nomine investituram novam petere
cogitur. Nam hoc incrementum solet esse parvum
ac exiguum. *arg. l. in rebus 18. §. possunt. ff. Commod.*
Schrader. d. loc. num. 29. Et incrementum latens al-
luvionis feudo accedens vasallo eodem jure acquiri-
tur, quo ipse feudum habet. *l. feud. 4. §. Si quis de*
manso 5. §. Sibi. Dres. Quod si verò quis tantum quasi
dominium fundi, titulum nempe & usucapiendi con-
ditionem habeat, incrementum latens fundo per allu-
vionem accedens ipsi etiam absque novâ appren-
sione, eodem jure acquiritur, ita, ut eodem titulo
præscribatur. *l. si ego. 11. §. idem ait. ff. de publ. in rem*
act. Schrader. de feud. 2. part. 1.

§. XLII.

Verum naturalia hæc incrementa agrorum vel
feudalium vel vectigalium sive emphyteuticorum,
vasal-

vasallis & emphyteutis acquiruntur, quamdiu feudum vel emphyteusis durat: iisdem vero finitis five tempore five culpa & delicto vasalli, pleno jure ad dominum revertuntur, sine ulla compensatione: Alvar. Valasc. *Jur. Emphyteut. quæst. 25. num. 20.* Quoniam vasallus vel emphyteuta dum sine facto ipsorum prædio accreverant ista gratis acquisiverunt, & proinde eodem jure cum toto fundo qui nunc in pristinam libertatem quasi concessit, ad dominum transmittunt Rosenthal. *Cap. 10. Concl. 44. num. 37.* Franzkius *de Laudem. Cap. 15. num. 64.* Schrader, *de feud. 2. part. 9. princ. sect. 2. n. 2.*

§. XLIII.

Quod si durante locatione conductione prædio conducto alluvionis incrementum accedat, hoc quoad dominium ad locatorem, quoad fructus & utilitates vero conductoris esse; sed finita conductione ad dominum & eas redire statuunt interpretes arg. *L. 15. §. 2. ff. locate conducte* Dn. Fritsch. *addit. ad B. Aym. lib. 2. Cap. 14.*

§. XLIV.

Dicta autem incrementa agri vel emphyteutici vel feudalis vel conducti non facile possunt esse tanta, ut vel canonem emphyteuticum vel servitia vasallitica vel pensionem annuam eo nomine augeri oporteat: cum flumina æque facile per deluvionem aliquid detrahant quam per alluvionem adjiciunt: ut proinde commoda ista cum incommodis pensanda esse videantur. Vid. D. Sigismund. Buchner. *de re & jure*

*jure aquatili §. 45. & 46. & D. Joh. Sebastian. Gambs
Dissert. legali de alluvionibus §. 36. 37. & seqq. Ritters-
hus. partit. Feud. lib. 2. Cap. 2. qu. 5.*

§. XLV.

Cum vero tributis modis pro modo ac fertilitate
aut sterilitate praediorum augeri aut minui debeat
L. 4 §. 1. L. 5. pr. ff. de Censibus: hinc illis quibus per al-
luvionem emolumentum adjicitur, tributis etiam onus
accrescit; uti è contrario diminuitur illis qui patri-
monium suum hoc modo deplorant deminutum *L. 2.
de alluvionibus*: Colleg. Jurid. Argent. lib. 42. Tit. 1. §.
26. Similiter alluvione etiam jurisdictio augetur,
cum per alluvionem fines imperii protendantur. *arg.
L. 3. §. 2 ff. de aqua quotidian. Tabor addit. ad Colleg.
Jur. Argentor. 1. part. princip. sect. 2. d. l. §. 26. num. 9.
Gryphiand. de Insul. Cap. 14. Gambs d. dissertat. §. 35.*
Nam habenti jurisditionem, merum vel mixtum im-
perium, eodem jure accrescit *Curt. Sen. consil. 56.
Schrader. 2. part. IX. part. princip. sect. 2. num. 4 in fin.
femin. Quamvis videatur contrarium velle Bart. in
tractat. de flum. & Zas. consil. 46. libr. 1.*

§. XLVI.

Obtinet etiam jus alluvionis in fundis fideicommissis
subjectis, ita ut id incrementum ad fideicommissarium
pertineat. *Knipschild. de fideic. Cap. 12. n. 97. Peregrin.
de Fideicom. art. 10. n. 17. Fusar. de Fideicom. substitut.
quest. 63.* Nec idem asserere dubitamus de fundis le-
gatis, nam quod iis per alluvionis incrementum ac-
crescit, legato cedere dicimus. *arg. §. 19. Instit. de le-
gat. l.*

gat. l. 39. de legat. 2. l. 44. §. 4. de legat. 1. ita etiam, si post emtionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emtoris commodum hoc pertinet. §. 3. Inst. de Empt. vend. l. 7. init. ff. de pericul. & commod. rei vend. Uti etiam id, quod perit, ad emtoris incommodum pertinet. d. l. 7. ff. de per. & comm. rei vend. Nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est l. 10. ff. de Reg. jur. jung. l. 1. C. de per. & commod. rei vendit. Augmentum fundi sub pacto de retrò vendendo emti, alluvione factum ad emtorem dominum videtur pertinere, ita, ut venditor illud petere nequeat, nisi & ejus pretium solvat. Carpz. Part. 2. const. 1. def. 18. Struv. Syntagm. Jurispr. exerc. 23. thes. 46. jung. l. 7. init. ff. de commod. & peric. rei vend. l. cum pro pecunia 24. C. de solut. Nam contractus & dominium non resolvitur, sed res vendita, iterum venditur ac redimitur; accessit igitur augmentum jure domini & non est venditum ipsi emtori adeoque peculiare pretium ratione hujus, rem, cui accessit, redimens,olvere tenetur. Et hanc sententiam supremam curiam Belgicam approbasse, ait P. Christinae. vol. 3. dec. 90. num. 4. nec obstat. l. 23. §. 1. ff. de Ædil. Edict. nam alia ibi adest ratio, quod res ob vitium redhibeatur: nec l. 2. C. de pact. inter. emt. & vend. Quoniam in illa lege de fructibus agitur: & de eò, quod provenit ex re post moram. Nec obstat porro, quod augmentum fundo cohæreat. l. 7. §. 1. ff. de Acquir. rer. domin. Cum ibi tantum exprimitur modus acquisitionis, non verò propterea dominium venditori acquiritur, qui tempore accessionis non erat dominus. Contrariam opinionem fovet Baptist. Aym. de jur. alluv. libr. 2. cap. 10. num. 10. &

E

seqq.

seqq. Andr. Tiraquell. *de Retract. Convention. ad fin.*
num. 92. Berlich. *part. 2. Conclus. 2. num. 55.* Augmen-
tum vero fundo dotali per alluvionem accedens, so-
luto matrimonio unâ cum ipso fundo ad mulierem re-
vertitur. *l. si proprietati. 4. ff. de iur. dot.* Carpzov. *d.C.*
def. 18. num. 12. idem dicendum de fundo vendito, cui
venditioni addictio in diem fuit adjecta, sive cum
pacto resolutive, sive conditionali. Nam quicquid
per alluvionem ejusmodi fundo accrescit, hoc cedit
venditori, & quidem si pactum illud est resolutivum.
Quia emtio perfecta tum ita resolvitur, ut retro ab
ipso initio pro non factâ habeatur, vid. *l. 2. §. 1.*
l. 9. l. 17. ff. de in diem addict. Et omnia commoda
venditori sunt restituenda. *l. 4. §. 4. l. 6. pr. l. 16. ff. de*
in diem addict. l. 11. §. 10. ff. quod. vi & clam: isque do-
minium recipit ipso jure, sine traditione, ita, ut il-
lud nunquam ab ipso discessisse videatur. Sin *condi-*
tionale & quidem sub conditione suspensiva. *l. 2. ff. de*
addict. in diem. Quia pendente conditione ipsa em-
tio in pendentem & imperfecta est. *l. 7. pr. de Contrab.*
Emt. Auctis post mortem patrisfamil. facultatibus ex
alluvione, legitimam non augeri statuimus, quia mor-
tis tempus hic est inspiciendum. *l. cum queritur. 6. C.*
de inoffic. testam. Idem dicendum putamus, quoad
quartam Falcidiam, nam illa non cessat, licet heredi-
tati, post mortem relinquentis eam, per alluvionem
aliquid accrescat. Quia quantitas patrimonii, ad
quam ratio legis Falcidiæ dirigitur, mortis tempore
spectatur. *§. 2. Instit. de Leg. Fulcid. l. 73. ff. eod. jung. Ba-*
ptist. Aym. de Alluv. jur. cap. 20. num. 38. & 39. Por-
rò si portioni deficienti aliquid adjectum fuerit per
allu-

alluvionem, tum hoc jure accrescendi, pertinet ad co-
hæredem & collegatarium, qui suam portionem hære-
ditatis & rei legatæ acceptarunt. *arg. § 8. Instit. de le-
gat. l. unic. §. 9. Et seqq. C. de Caduc. toll.* Nam
quod juris est in re principali, idem juris videtur esse
in accessorio, quod naturam principalis sequitur. *cap.
accessorium. 43. de R. Jur. in 6to. arg. §. 26. 29. 32. Instit.
de Rer. divis.* Quod agris fiscalibus per alluvionem
adjicitur, cedit fisco, item quod bonis vacantibus uti
agris hereditariis, qui nullum hæredem habent, per
alluvionem accedit. Cum ad fiscum res principalis,
hoc est bona vacantia ordinario jure pertineant. *l. 1.
§. Divus. ff. de jur. Fisc. 2. Feud. 56. in verb. bona va-
cantia. vid. Bapt. Aym. cap. 21.*

§. XLVII.

Dominium autem cujusque incrementi fluviatici
ipso jure nanciscimur, & insulis exceptis, etiam ipso
facto, illico sine nova apprehensione possidemus: *Bapt.
Aymus d. Tr. lib. 2. Cap. 8. num. 13. Gryphiand. Cap. 18.
num. 104. 138.* Unde tam possessoriis quam petitoriis
actionibus iisdem & pro alluvionum accessionibus in
judicio experiri licet, quibus aliarum rerum nostra-
rum vel dominium vindicamus vel possessionem aut
retinere aut recuperare intendimus.

§. XLVIII.

Probatio incrementi alluvionis ex ipsa rei subje-
ctæ natura difficilior est; quoniam per alluvionem id
videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi
non possit, quantum quoquo temporis momento adji-
ciatur §. 20. *Instit. de Rer. div.* Ingeniose *Bart. Tr. de flu-
minib. seu Tyberiad. & alluvione, in verbo per alluvio-*

nem, pr. si tota die figas intuitum, imbecillitas visus tam subtilia incrementa comprehendere non potest; unde dicitur latens incrementum. Hæc Bart. qui tamen ibidem *num. 3.* concedit per visum comprehendi posse incrementum quod factum est; sicut in puero ex-crescenti videmus, quantum ille creverit, licet singulorum dierum incrementa oculus metiri non possit. Testes autem in hac materia idonei sunt rustici & vicini: hi enim interrogati, causam scientiæ possunt adferre; quoniam vicini sunt, & sæpius forte illius agri culturæ vacabant: unde possunt antiquam & novam agri mensuram demonstrare: Mascard. *de Probat. Conclus. 81.* ita, ut etiam in hac probatione interrogatoria admitti debeant. Unde autem illa depromantur, vid. Ruland. *de Commiss. part. 4. lib. 2. cap. 15.* Sed cognitâ illa antiquâ agri mensurâ, per ocularem quoque inspectionem facile est demonstrare incrementum per alluvionem paulatim adjectum. Labet etiam sub calce hujus dissertationis arcanum aliquod Physicum, uti Klockio appellatur, *de Ærar. lib. 2. cap. 63.* brevibus subjicere circa procurationem incrementorum fluvialium, ut, qui alluvionem velit, fluvium incurvet; qui insulam velit, flumen latissime diffundi ac evagari sinat; qui non velit, fluminis alveum constringat & in arctum cogat. Demum intra quod tempus præscribitur & amittitur ager, cui per latens alluvionis incrementum aliquid fuit adjectum, intra idem; incrementum tanquam accessorium præscribitur atque perit. Bapt. Aym. *libr. 2. cap. 21. num. 4. § j.* Atque hic nostræ de alluvione juris translationi finem imponimus.

Quid



Uid valeat natura potens quidve addere pos-
Ruricolæ fundis *alluvione*, doces. (fit
Jugera quid Crassi producat, rura *latenter*
Amplificet, terris adjiciatq; parùm.
Excutis ingenii nervo, calamoq; rotundo
Pingis: Quo limo mens Tibi ficta fiet
Gens perdocta videt, titulos & præmia confert
Digna Tuis studiis, digna labore Tuo.

*Hisce Clarissimi & Nobilissimi Domini
Candidati honoribus applaudit.*

PRÆSES.

ET placidi mores, legumq; scientia causa,
ASCHENI, laudis sunt manifesta Tuæ,
Floribus hinc Astræa brevi Tua tempora cinget,
DOCTORISq; Tibi jus titulumq; dabit.

*Hisce Nobilissimo & doctissimo Domino Candidato
summos in utroq; jure honores ambienti gratulatur*

JOHAN GOTHARD von Böckellen/
J.U.D. Jur. Can. & Feud. Prof. Publ. Ord.

VT maris aut fluvii limo adjectaq; saburra
Auctior in multis redditur ora locis:
Sic quoque quâ polles, exacta scientia juris,
Adjectis sensim partibus aucta fuit.
Indicat id vigili studio calamoque polita
Charta, patrociniò tuta futura Tuo.
Illa placet Themidi, & quod commoda multa docebunt,
Principibus non est displicitura Viris.

*Nobiliss. Domini Candidati summis
in utroq; jure honoribus ita ap-
plaudit*

JOHAN Eisenhart / D. P. P.

QKTT 381

Alluvione quidem campos crevisse videmus,
Hujus vero modum cernere nemo potest.
Ingenii vires sic incrementa capeffunt,
Pieriis sensim mensque rigatur aquis.
Alluvio Tibi crescat ager, Tibi crescat opum vis,
Ingenium crescat, denique crescat honor.

*Nobilissimi Domini Doctorandi JACOBI von Alscheni
Dissertatione inaugurali JUS ALLUVIONIS
strenue defendentis, egregiis conatibus FELICI-
TER! acclamat, & supremos in utroque fure ho-
nores, brevi obtinendos, ex animo eidem gratulatur*

**PHILIPPUS LUDOVICUS Böhmer/
Moralium Prof. Publ. Ord.**

Præmia non desunt illi, qui gnaviter hostem
Prosternit, palmam victor ubique feret.
Te sic in castris musarum nocte dieque
Prælia miscentem certa corona manet.
Quid manet? implicitos jam sentis flore capillos.
Hæc sunt virtutis præmia digna tuæ!
Nos Tibi promeritos, FAUTOR, gratamur honores.
Ausibus eximiis annuat usque Deus!

*Hiscæ Nobilissimi atque Clarissimi Domini
Doctorandi conatibus applaudere vo-
luerunt eiusdem*

COMMENSALES.



107
MC





AXIMO,

I Æ

e,

N T I

n suam Inauguralem

ANSECRAT

G. von Aschen.

